

EPISTULA LEONINA

CL

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXIL** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM QUINQUAGESIMAM (150) !

ARGUMENTA

1. VULPES PILUM MUTAT NON MORES.....	03
2. Historia bombinarum (pars sexta).....	04 - 14
2.1 De Bombina legendi Ulmensi (<i>Die Ulmer Unke</i>).....	04
2.2 Fabella bufonis Grimmiana.....	05 - 07
2.3 Mysterium bombinae (<i>Preußler</i>).....	08 - 10
2.4 Quomodo magus Zwackelmannus fatis concesserit (<i>Preußler</i>).....	11 - 14



**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam quinquagesimam. - Denuo tractamus ea amphibia, quibus nomen est bombinarum. Nunc autem non agitur de rebus herpetologicis, sed de fabellis, in quibus bombinae aut bufones gerunt quasdam personas. Nam olim talibus bestiolis inesse quaedam vis magica credebatur. Talia legimus etiam apud Fratres Grimmios necnon apud Otfridum Preußlerum, qui in mirandâ suâ fabulâ Raptoris Hotzenplotzii narrat de Amaryllide fatâ, quae a mago Petrosilio Zwackelmann furcifero mutata erat in bombinam in hypogeo castelli magici vitam degentem miserrimam... usque dum liberata est... Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 150 tolle et lege et laetare et... **pergas mihi favere!***

Medullitus Te salutatur

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Dominicâ, 21. m.Ian. a.2018**



SUETONIUS, Vespasianus 16... Quidam natura cupidissimum tradunt, idque exprobratum ei a sene bubulco, qui negata sibi gratuita libertate, quam imperium adeptum suppliciter orabat, proclamaverit **vulpem pilum mutare, non mores**. Sunt contra qui opinentur ad manubias et rapinas necessitate compulsam summa aerarii fiscique inopia; de qua testificatus sit initio statim principatus, professus quadringenties milies opus esse, ut res p. stare posset. Quod et veri similis videtur, quando et male partis optime usus est.

HISTORIA BOMBINARUM

VI

PARS SEXTA



cfr Pars prima (EL 78), Pars secunda (EL 79), Pars tertia (EL 80),
Pars quarta (EL 129), Pars quinta (EL 130)

DE BOMBINA LEGENDI ULMENSI

Die Ulmer Unke



<http://www.ulmerunke.de/ueber-uns/>

De nobis

Bombina Ulmensis est praemium librorum puerilium atque iuvenilium. Ex anno 2005 pueri puellaeque legendi cupidae, quarum aetas est inter 10 et 14 annos, legunt atque existimant libros modo editos – omnis minimum quinque libros, a mense Maio usque ad Octobrem.

Omnis puer lector puellave lectrix existimat libros punctis, quae sunt inter 0 et 10, et breviter explicat, quare tanti aestimet, et addit nonnullas sententias, quae spectant ad argumentum libri.

Libri existimandi tempore legendi a.2018 asservantur in bibliopolio *Jastram*, quod situm est iuxta angiportum tabernae calceariae (*Schuhhausgasse*), in domo octavâ. Idem inde ex mense Maio omni die Veneris, a. horâ secundâ usque ad sextam postmeridianam, ibidem accipi poterunt.

Omni arbitro conceduntur tres septimanae, quibus legat libros existimandos. Perlecto demum libro proximus accipi potest.

Libetne tibi unâ cum *Bombinâ Ulmensi* operari? Si ita est, hōc loco decarrica (*decarricare est i.q. download*) schedam nominis dandi, ut particeps fias – mox iam tibi licebit librum legere!

FABELLA BUFONIS GRIMMIANA¹

I.

Aliquando erat puerulus, cui mater omni tempore postmeridiano dabat patellam lactis et paniculos, quibus acceptis puerulus foris in aulâ considebat. Qui quandocumque comedere incipiebat, bufo e rimâ muri repebat, capitulum lacti imponebat, unâ cum puerulo bibebat. Puerulus autem de hac re gaudens cum patellae assidebat, sed bufo non statim adveniebat, illum advocabat: »Bufo, bufo, bufuncule, adveni, accipe frustulum, et fruire lacte«. Tum bufo accurrebat et lacte fruebatur. Idem bufo puerulo se gratum praestabat eo quod afferebat varias res pulchras, lapides nitidos, margaritas, crepundia aurea e thesauro suo clandestino allata. Sed bufo nihil sumebat nisi lac; frustula non tangebatur. Tum puerulus ligulâ sumptâ leniter impulit bufonis caput et dixit: »Baburre, sume frustula!« Mater, quae stabat in coquinâ, audivit puerulum cum aliquo loqui, et cum videret illum ligulâ pulsare bufonem, ligno arrepto excurrit bonamque bestiolam necavit.

Inde ex hōc tempore puerulus aliquatenus mutabatur. Idem, dum cum bufone comederat, creverat atque corroboraverat, at nunc genis antea rubedine pulcherrimis pallescentibus macrescebat. Nec mora, nocte noctua coepit clamare et rubecula collegit ramulos foliolaque ad coronam funebrem conficiendam et mox puerulus lecticae impositus est sepeliendus.

II.

Puella orba moeniis assidens nebat, tum bufonem conspexit ex aperturâ muri inferiore erepentem. Tum puella sericeum focale suum caeruleum celeriter iuxta se evolvit; nam talem pannum bufones cum vehementer diligant, in eum solum repere solent. Bufo autem focali

¹ titulus originalis: „Das Märchen von der Unke“. Nomen autem theodiscum, q.e. „Unke“ fratres Grimmii non referunt ad bombinas (quae nequaquam solent vitam degere in domibus hominum), sed ad bufonem: http://woerterbuchnetz.de/Adelung/call_wbgui_py_from_form?sigle=Adelung&mode=Volltextsuche&hitlist=&patternlist=&lemid=DH01354: „Die Hausunke, plur. die -n. 1) Ein Nahme der Hauschlange, S. dieses Wort. 2) Der Erdkröte, welche sich gern in den Häusern, Kellern und Ställen auf dem Lande aufhält...“ – cfr Grimmsches Wörterbuch, Bd. 24, Sp. 1083: „d) auch die literaturspr(ache) spiegelt wie die spr(ache). des gewöhnlichen lebens das schwanken zwischen 'schlange' u. 'kröte' wieder; z. b. ist eigentlich 'schlange' gemeint: so sollst du tief in's burgverliesz./ wo molch und unke nistet Bürger 52b; Hebbel 8, 46; in dem kerker ... unter kröten und unken Ch. v. Schmidt 7, 33; doch überwiegt in diesen fällen die unbestimmte vorstellung des grauenhaft-abscheulichen. die ra. wie eine unke leben, sehr einsam, eingezogen Wander 4, 1461 weist auf II 1 a und c. **anderseits käme 'b u f o', unzertrennlich von ihrem nassen element, in betracht: Grimm märchen 2, 113;**

conspecto conversus revertit auream coronulam secum afferens, quam panno imposuit iterumque abiit. Puella coronam sustulit; quae nitida confecta erat e filis aureis tenerrimis. Nec mora, bufo revertit iterum: at cum coronam non iam videret, ad murum arrepsit et dolore affectus tam diu capitulum muro impellebat, usque dum mortuus prosterneretur. Puella autem si coronam reliquisset intactam, bufo etiam plures thesauros e cavernâ attulisset.

III.

Bufo vocat »huhu, huhu« puer revocat: »Egredere«. Bufo egreditur, tum puer e bufone quaerit, ubi sit sororcula: »Nonne vidisti Rubrisocculam?« Bufo autem respondet: »Ego quoque non vidi; cur tu non vidisti? huhu, huhu, huhu«.


Jacob Grimm 1785 - 1863 et Wilhelm Grimm 1786 – 1859



ECCE BUFO

OTFRIED PREUSSLER: MYSTERIUM BOMBINAE

- DUO CAPITULA RAPTORIS HOTZENPLOTZII -



Scriptis Otfridus Preußler, Latine reddidit LEO LATINUS

«Siste! Noli progredi, ne uno quidem gradu!»

Casparulus vix pedem trans limen posuerat, tum audivit vocem haec verba atrociter coaxantem. Nisi omnino deceptus erat, rectê cognovit hanc vocem esse illam, quam modo audiverat gementem. Eidem obsecutus pedem constitit. Lanternâ lucente Casparulus vidit se intravisse fornicem parvum et obscurum. At hîc fornix subterraneus nullo erat pavimento! Ante summum Casparuli calceum hiscebat hiatus profundus aquâ nigrâ completus, qui palmari tantum distantiâ erat remotus.

Casparulus ultro aliquatenus recessit et dorsum posti ianuae oppressit. «Adestne aliquis?» interrogavit. Vocem suam audivit fusciolem, quam ut recognosceret. Tum strepitum atque singultum e profundo ad se venientem audivit.

«Hic adest aliquis» coaxatum est. «Si decubueris corpore pleno et despexeris, me videbis».

Casparulus nunc quoque obsecutus est. In ventre iacens se unciatim ad hiatum admovebat. Lanternam manu extensâ tenens super marginem despexit.

«Ubi es? Non possum videre te».

«Hîc infra in aquâ sum. Lanternam paululo demittas!»

Infra aliquid natavit, in aquâ nigrâ, magnis oculis torpidis et rostro lato hianti instructum.

«Quid nunc?» illud coaxavit, «At nunc me vides!»

«Nunc quidem» Casparulus dixit.

«Et quid putas me esse?»

«Si aliquantulo minor esses, dicerem te esse bufonem. Aut ranam».

«Erras. Sum bombina».

«Aha» Casparulus dixit cogitans: «At bombinae quoque solent esse te minores... »

Deinde expressis verbis addidit: «Et quid facis ibi in loco infero?»

«Exspecto».

«Quidnam exspectas?»

«Exspecto redemptionem meam. Oportet enim scias me reverâ non esse bombinam, sed...»

«Quidnam?» Casparulus interrogavit.

«Nescio num mihi liceat tibi confidere» bombina coaxavit, quae ipsa dixerat se non esse talem. «Esne missum a Zwackelmanno?»

«Ille» Casparulus inquit «non me misit. Qui ne scit quidem me hîc esse. Nam est apud collegam Buxtehudensem».

Bombina gemitum edidit profundum.

«Estne hîc verum?» interrogavit.

«Verumst» Casparulus inquit «quod verum esse iuro tribus digitis cordi appressis! Nunc autem dic mihi, quis sis, nisi es bombina!»

«Fui aliquando – bona fata».

«Fuistine fata?»

«Fui fata Amaryllis. At ex septem annis in formam bombinae mutata sedeo in isto stagno bombinario, uh-chuchu-chuuuh! Iste Zwackelmannus me ratione magicâ mutatam inclusit».

«Ex septem annis?» Casparulus vocavit.

«Horribile! Quare Zwackelmannus istud fecit?»

«Quia est malus, pessimus! Mihi male vult, quia interdum perturbavi eius technas magicas meis propriis. Cum ei nimis bene vellem, me dolo deceptam fecit bombinam. Eheu – uh-chuchu-chuuh-bombinam!»

Fata magicê mutata lacrimavit amariter. Crassae lacrimae delabebantur per faciem bombinariam. Casparulus voluit eam consolari, illius eum miseruit. At quid faceret?

«Possumne te adiuvere?» interrogavit.

«Potes!» bombina singultivit et manibus detersit lacrimas. «Nil necesse est nisi ut mihi compares quandam herbam, herbam fatarum. Si quid mihi attuleris huius herbae eâdemque me tetigeris, ero libera. Qua herbâ allatâ tolletur omnis magia mala. Afferesne mihi hanc herbam? Cur taces?»

«Quia...» Casparulus dixit et pergere cessavit.

«Quidnam? Quia...?»

«Quia non possum hinc abire. Ego quoque captus teneor hōc castello magico. Sinas narrem ...»

Nunc Casparulus bombinae narravit periculum heri nocte a se subitum et quomodo ipse conatus esset effugere et quomodo res sibi male successisset.

«Si mihi suaseris, quomodo hinc abiturus sim» inquit «tibi afferam herbam fatarum. At timeo, ne nescias hōc suadere.»

«Unde hoc scis?» bombina coaxavit. «Scito me fuisse fatam ideoque aliquatenus nosse magiam. Castellum relinquere non potuisti, quia Zwackelmannus circa idem aedificium duxerat circulum magicum. At si partem vestis tuae reliqueris in castello – partem, quam geris ipsi corpori appositam – liber eris et poteris ire, quocumque cupies».

«Estne hōc verum?» Casparulus interrogavit.

«Experire!» bombina coaxavit. «Deinde animadvertes te a me non esse mendacio deceptum. Praestat relinquere camisiam. Sed etiam licet tibiale relinquant aut petasum tuum.»

«Etiamne petasum?» Casparulus interrogavit. «At eundem mutuuum sumpsi, quem non possideo, est amici mei».

«Hōc non rēfert, hoc petaso etiam licet uti».

«Ergo scilicet relinquam petasum» Casparulus dixit.

«Quem non desiderabo, quia sic quoque non quadrat ad me. Nunc autem dic mihi, ubi inventurus sim herbam fatarum et quo conspectu sit; deinde eam tibi afferam».

QUOMODO MAGUS ZWACKELMANNUS FATIS CONCESSERIT



Ut in tenebris melius videret, magnus magus Petrosilius Zwackelmannus sibi imposuit perspicillum nocturnum. Deinde properavit ad turrin castelli amiculo magico ascenso rapidê profectus est. At quamquam acerrimê circumiecta explorabat, quam longissimê volitabat et circumspectabat – ei non contigit, ut Casparulum inveniret.

Interea enim in Ericeto Alto luna erat exorta. Simul sub radicibus veteris piceae procellariae nitore argenteo herba fatarum enituerat, cuius fascem Casparulus properê excerpserat. Nunc autem Petrosilius Zwackelmannus illum videre non iam potuit, ne perspicillo nocturno quidem, quod erat naso impositum.

Herba fatarum dextrae manui, manu sacco bracarum impositâ Casparulus erat rediturus. Bis, ter factum est, ut Zwackelmannus amiculo suo magico eum parvâ distantîâ transvolaret. Quare territus Casparulus capite retracto dorsum inclinavit. Sed etsi non inclinasset, a Zwackelmanno non esset conspectus, quamvis ille volaret tantulâ altitudine, ut Casparulus sentiret âerem peragitatum.

Ceterum îdem herbâ fatarum non solum factus est invisibilis. Ex quo illam gerebat sacco bracarum impositam, non iam fatigabatur! Pedês Casparuli sponte currebant, ut primâ luce salvus assequeretur castellum magicum.

Porta erat clausa. Casparulus cum eam herbâ fatarum attigisset, aperta est, ut intrare posset. At eo momento temporis super se in âere audivit ingentem fremitum strepitumque, et sursum spectans Zwackelmannum agnovit modo turrim castelli attigisse. Utinam ne quid suspicatus esset !

At magnum malumque magum Petrosilium Zwackelmannum non praeterierat portam castelli sui magici paucis momentis antea apertam et clausam esse.

«Oho !» evocavit «quidnam, pro omnibus diabolis caudatis, istud valet? Aliquis, quem videre non possum, aditum sibi comparavit castelli mei! At quisnam hõc fecit? Et quomodo, in Satanam ipsissimum istiusque aviam, istud assecutus est?»

Petrosilius Zwackelmannus digitis crepitans baculum suum magicum quaerebat.

«Quicumque fecit» iracundus inquit «istum inventum atrociter puniam pro nimiâ curiositate! In sulphur et tormenta et ignem gehennae hõc iuro!»

Semper per trinos gradûs simul progrediens magnus magus cochlidem descendit in pedeplana. Interim Casparulus iam in hypogeum festinaverat et per andronem obscurum currebat ad stagnum bombinae. Nunc expers erat lanternae, sed herbam fatarum manu tenens, illâ non egebat: ipsis enim in tenebris visu erat felino.

Prima ianua – nunc altera – et nunc tertia –

«En adsum, herbam habeo! Dic mihi, quid faciendum sit!»

«Manum mihi porrige et adiuva me, ut ascendam!»

Casparulus sõlo incubuit et dextram manum porrexit bombinae stagno bombinario versanti, manum, cui imposita erat herba fatarum.

«Da alteram manum!» bombina coaxavit. «Primo oportet me adiuves, ut ex aqua escendam!»

Foris, in hypogei introitu, nunc resonuit vox magna iracundaque magi Zwackelmanni. Qui animadverterat ianuam hypogei patêre. Tum

horribilem rem suspicatus est. Magus verba mala et contumeliosa faciens per scalas decurrit magno cum strepitu. Paucis momentis post îdem adventurus erat.

«Propera!» bombina vocavit.

Casparulus eandem manu sinistrâ apprehensam iuxta se in pavimento deposuit. Interea Zwackelmannus magis magisque appropinquaverat. Qui rugiebat atque clamitabat, ut vox eius fornice resonaret.

«Festina!» bombina vocavit «tange me herbâ fatarum!» Casparulus obsecutus est. Eodem autem momento temporis magnus et malus magus Petrosilius Zwackelmannus per ultimam ianuam se proripuit. At subito îdem obriguit et conticuit.

Et cum magni magi obrigescunt et conticescunt, mox iidem corripientur a...

Casparulus quoque territus est – at non aspectu mali magi! Ille territus est magno lumine, quo hypogeum completum erat. Quo non potuit, quin oculos clauderet. Quibus apertis vidit iuxta se stare mulierem pulchram.

Haec mulier sole lucidius lucebat. Omnia in eâdem, facies et manûs et capilli et longa vestis aurea pulchriora erant, quam ut describerentur.

«Oh!» Casparulus cogitavit, «timeo, si diutius eam aspexerim, ne caecus fiam».

At mulierem tam pulchram oculis vitare? Eam vitare etiam non potuit. Itaque tam cautus erat, ut uno tantum oculo illam aspiceret, alterum premoendo concluderet.

Petrosilius autem Zwackelmannus ad parietem hypogei stabat tamquam attonitus. Qui facie erat pallidissimus, eius genua tremebant, guttae sudoris de eius fronte stillabant. Studebat loqui, sed non poterat. Magus erat tam trepidus, ut ipse baculus magicus ex eius manibus delaberetur.

Baculus magicus decidit. Amaryllis fata baculum summo pede leviter concussit. Quo îdem devolutus cum clangore delapsus est in stagnum bombinae.

Nunc tandem Petrosilius Zwackelmannus animum recepit.

«Diabolus te corripiat!» clamavit. Saltu facto erat correpturus baculumque magicum detenturus. At nimis sero fecit! Digitis in

vanum erectis caespitavit, cernuavit – et antequam fieri potuit, ut Amaryllis fata et Casparulus eum adiuvent, in profundum praecipitatus est.

Petrosilius ultimum edidit clamorem atrocissimum! Deinde magnus malus magus abysso devoratus aquisque stagni bombinarii nigerrimis obvolutus.



ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	-----	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM QUINQUAGESIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT



Die Dominicâ, 21. m.Ian. a.2018

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>